Sched. 3

A

MONSIGNORE ILLUSTRISSIMO

E REVERENDISSIMO

GIOVANNI ANTONIO FARINA

VESCOVO

DI TREVISO

VICENZA
FRANCESCO GIO. PICUTTI TIPOGRAFO
1851

Digitized by Google

Digitized by Google

Monsignore!

La benevolenza che V. S. Ill.ª mi ha dimostrata in que' giorni che io frequentava l' Istituto di S. Dorotea, quella vostra grand' opera di patria beneficenza, mi porge animo di venirle innanzi in questo faustissimo giorno, in cui Ella lascia addolorata una Diocesi per esser la letizia di un' altra.

Le offro umilmente un Carme latino che nel secolo decimo quinto celebrava le lodi della nostra Vicenza; spero che se non ad

Digitized by Google

altro, servirà a tenerle fresca mai sempre nel cuore la ricordanza della bella sua patria.

Mi continui l'affezione primiera e mi creda

Vicenza 15 Gennajo 1851

Di Vostra Sig.ria Illustr.ma

Obbligatissimo Devotissimo Servo
CARLO PICCOLI

Digitized by Google

DE

VINCENTIÆ LAUDIBUS

CARMEN

EX CODICE BIBLIOTHECAE BERTOLIANAE

Digitized by Google

Digitized by Google

AD MAGNIFICUM DOMINUM

JOANNEM PORTENSEM

EQUITEM

SPLENDIDISSIMUM

Candida Pieridum sacris ut nona viretis
Spirantes me florum inter mollesque rosari
Frondes, Permesso non longe ab flumine montis
Parnasi somno sopitum texit; ab imo
Pectore sic fatur. Clara de laude tuorum
Pauca virum resonare sacro Vincentia plectro
Et celebri latias de te virtute per urbes
Fert animus. Cœpto vires mihi carmine turbæ
Aoniæ si sæpe faves, da Phœbe Thaliæ.
Ausoniæ, salve, felix Vincentia, terræ
Insignes reliquas divina laude latinas
Exuperans urbes: populo fœcunda: situque
Clara nimis, lætæ felix atque ubere glebæ.
Et gemmis, auroque potens, viridisque juventæ
Viribus, atque armis pollens, et robere firmo
Consiliis, verbisque senum Tu pacis amatrix;
Te pudor, et probitas decorat, pietasque, fidesque;
Tu Vestæ pia sacra colis; tu semper honesti,
Virtutumque parens: in relligione, sacrisque

Digitized by Google

Diceris esse Numa, et priscis celebrata Sabinis
Simplicitate magis: mores, leges quoque servas,
Quas veteres coluere patres; ultrixque malorum
Prœmia digna bonis: meritos et reddis honores,
Dotibus his claram miris te laudibus ornant
Insignes juvenes, quos sæva in prœlia Mavors
Ire jubet: quorum fessis Bellona lacertis
Horrida dat vires: illi clangore tubarum
Et lituum stridore accensi spicula torquent.
Quanta ferox quondam phrygiis sub mœnibus Hector
Æacides sævis graium seu maximus armis,
Seu Pyrrhus rapidis subiit quum pergama flammis,
Tradita quum Priami sacrata altaria circum.
Aut latus, aut iugulum rutulo mucrone reclusit.
Quanta vel Ausoniæ telluris gloria Turnus
Troius aut Latiis Æneas magnus in arvis;
Sic bello assueti vitam pro laude pacisci
Ardent et pulchra pro libertate labores
Mille pati ut Senonum subito quum marte furores
Et domuit, pressitque feros, auroque recepit
Romuleo assertor patriæ decoratus honore.
Impiger aut libycos tanquam Marcellus in hostes:
Heu mortem insidiis, interque martia tela
Oppetiit patrio tectus minus ossa sepulcro.
Seu celeber spoliis veluti quum Lartis opimis
Utque ferox Cocles superavit laude reciso
Ponte suam læsus coxam tyberina fluenta.
Seuque, sacratis, vix jam credibile, flammis
Impositam torvo spectavit lumine dextram,
Inclytus, aut tardis quondam ceu Maximus armis
Effringens libycas vires, hostemque superbum
Cedibus Italiam quum tot turbaverat annis
Roma tuos propria texit virtute penates.

Dant pariterque suæ vires, et robora genti
Quos genuisse ferunt te quondam, martia tamque
Fulmina, Cinna ferox romani certa senatus
Spes populique salus; et gloria clara Perendus
Externi generis pulsat quum vertice olympi
Sydera, pœne tulit toto victricia mundo
Signa ferox nullo fert superatus ab hoste;
Et tibi non ne decus Latiæ Vincentia terræ
Illa ego quas habui grandes hoc tempore vires
Læta Dei, totoque fulget in orbe Sabellum:
Quantum vel cœlo radiis vallatus acutis
Cynthius, aut inter quantum soror alma minores
Utque focos, reliquos aut quantum phosphoris ignes.
Post hunc non ne dedi Perusinum vertice sacro
Franciscum, solitum Phœbi dignissimo plectro
Ludere; non secum pimplæo certet in antro
Vates; castalii vitream seu fontis ad undam.
Pergite quos studium celeri contigere cursu
Quam cupit aonio chorus omnis vertice metam
Pierius; palma merita nam dignâ dabuntur
Præmia, quæ vestris patrio jam sanguine cretis
Anguiger ille sacro quondam clarissimus ore
Mathæus. Clarusque simul sermone pelasgo
Omnibonus splendor latiæ telluris, honosque
Doctiloquo fultus tantum; quum munere linguæ
Ausoniæ, chartis opus arpinatibus ut par
Pœne suum dederit, non illud avara vetustas
Deteret, aut rapidæ quæ carpunt omnia flammæ.
Illud non seri cineres, non impia lædent
Fata, data quantum mundus se lege tenebit
Vivet. Cumææ sic sæcula longa Sybillæ
Vincet, vel Priami pylii, seu Nestoris annos.
Lecta sacros quem post Eliconis vertice Lusci

Serta virent, cujus moritura volumina nunquam
Et Latia tam digna toga resonanda canoro
Pectine apollineo Domina, et qui grammata in urbe
Vera dedit, priscus divini carmine vatis
Insertus, laude insignis, notusque Palæmon.
Portensis genuere laris quem stemmata. Jure
Inclytus ingenti fama qua fertur ad astra
Joannes, Patavi grandi mercede professus
Maxima dona deum leges, sacrataque jura.
Hos inter nituit claro portensis honore.
Franciscus, patria quo non fuit alter in urbe
Consiliis certis, animoque potentior omnis.
Lux patriæ, populique decus, spes, fama, salusque.
Clarus Alexander genuit quem Nevia proles
Legibus, egregia Patavi cui primus in urbe
Jam locus, atque ingens merces data, dignaque semper
Praemia, namque auxit leges, divinaque jura
Orbe quidem felix, nitidis felicior astris.
Hisque Pajello quondam qui sanguine cretus
Infert se socium, gestis insignis avitis
Guilielmus. Summosque donus carola triumphos
Jam meruit virtute potens, opibusque, virisque.
Hinc fuit arguto, qui mentis acumine cautus
Res mundi, et varios cœli dignoscere motus.
Quidquid et Alcidem docuit jam maximus Atlas
Pleiadas, pluviasque Hyadas, tardumque Bootem
Noctivagæque vias Lunæ, Solisque meatus,
Et genus unde hominum, pecudes, pictæque volucres.
Caietane tuæ referens quo gloria gentis
Nomen, et omne decus: quondam tu summa Thienæ;
Sydereique poli cursus, et gloria rerum,
Solibus hybernis, et tardis noctibus omnes
Reddere tu certas causas, rebusque creatis

Et potis immensi forsan secreta tonantis,
Nota prius nullis, æternaque fœdera miris
Juncta modis, tantumque homini crudelia fata
Noscere quo maior toto non fulsit in orbe,
Ipse inter prima præstanti pectore Orontus
Grande tibi quondam, felix Vincentia, nomen;
Multa fidem propter summa pietate, pericla
Irriguoque miser multos sudore labores
Expertus tribuit, fuerat qui troica dignus
Sæcula, et extremos trascendere Nestoris annos.
Multum etiam vobis fas, nec gaudere juventus
Vincentina simul mihi, quæ tam chara; fuerunt
Quam vestri Bromio an proceres Phœboque, gregique,
Pierio sacroque choro; nam vertice ut illi
Astra suo feriunt. Sic vos me nunc duce musarum
Sed visum libuitque mihi consistere paucis
Insignes juvenes, vos nunc quia nomen, et ampla
Fama, decusque acuunt horter, moneamque, rogemque
Semper ut in studiis, sacræ dum munera Cyrræ
Nostrarumque libens tribuo decus omne sororis
Quod decet, ut facitis, miro peragatis amore.
Divitias omnes superant, niveosque lapillos,
Purpureoque tyri saturatas murice vestes.
Grandia vel nimio lætissima jugera cultu
Divinæ ratum laudes sibi tempora lauro.
Cinguntur viridi, maneant ut laude perennes.
Tempora labuntur, juvenes, advertite mente
Proh dolor! et celeri properat mors impia gressu
Forma bonum fragile est: penitus quam curva senectus
Depopulat, vivunt certis mortalia donis.
Venit ad stygios chara pro conjuge lucos,
Si mollire Herebi Ditem, Ditisque tremendi
Persephonem potuit cantu miserabilis Orpheus,

Digitized by Google

Dum nigræ stupuere domus, stygiique penate.
Et canis, et nexæ fœdos pro crinibus angues
Eumenides, nullisque palam superanda carinis.
Thebanæ Amphion clarus si conditor arcis
Grandia mota loco traxisse in mœnia saxa
Humano fertur cantu; mollire canoris
Posse mihi vestras liceat nunc versibus aures.
Hæc ait: Et mihi tunc per amena vireta sopores
Carpenti, placidos ubi mollia prata ligustris
Usque nitent niveis, et florum mille colores,
Lutheolæque decus violæ, ridentesque rosarum
Frondes: sopitum quo me prius alma lacertis
Musa suis tulerat. Qualis Titonia coniux
Aurea quum nitidum radianti vertice cœlum:
Fulgida seu picto decorat quum lumine miris
Insignis radiis, variisque coloribus Iris,
Visa abiens talis musarum nona Thalia.

99 949068